



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,
in visitationem Saxoniam**

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1564

De bello contra Turcas, cap. 42.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35803

De bello contra Turcas.

CAP. XLII.

Vario causarum prætextu plerunque dissuasit Lutherus belligerari contra Turcas, *In serm. de matrimo.*
 Quippe in sermone de matrimonio, reprobabat morem illum publicum, quo pro pace & tranquillo statu Ecclesiæ rogamus, cum magis orandum sit pro tribulationibus, quia quanto plures illæ fuerint, tanto res nostra melius habeat. Non ignorabat tamen, Paulus *1. Tim. 2.*
 docere nos, ut oremus pro omnibus hominibus, pro Regibus, & his, qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni castitate & pietate. In Resolutionibus flagella & virgam Dei prætendit. *In Resolu. conclu. 3.*
 Turcas (inquit) & Tartaros, aliosque infideles esse flagella & virgam Dei, nemo nisi parum Christianus ignorat. Dicit enim Isaia decimo: Væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eius indignatio mea. Licet plurimi nunc, & iidem magni in Ecclesia, nihil aliud somnient quam bella aduersus Turcam, scilicet non contra iniquitates, sed contra virgam iniquitatis bellaturi, Deoque repugnaturi, qui per eam virgam sese visitare dicit iniquitates nostras, eo quod nos non visitamus eas. At non ignorat, Turcas non tam esse virgam correctionis, quam gladium interfectionis in nocentes, iuxta & innocentes sæ-

DE BELLO

*In lib. ad
Nobil. Ger
ma. cap. 25.*

uentem, pestemque & exitium omnis honestatis & pietatis, vti serò fatetur nunc ipse in sua Visitatione. In libro autem ad Nobiles Germaniæ, commendat Turcæ regimen, vituperatque nostrum. Quod id animo fecerit, Deus scit, nos ex euentu malorum, & ex reliquis eius dictis non obscure coniecere possumus. Ferunt (inquit) nullum esse vsquam regimen seculare pulchrius, quàm apud Turcam, qui tamen neque Canonicum, neque Ciuile ius habet, sed solummodo Alcoranum suum: Nos autem fateri oportet, non esse turpius regimen vsquam, quàm est apud nos per ius Canonicum & Ciuile. At nunc

In lib. Visi.

longè satius scribit in Visitatione. Multo (inquit) tolerabilius foret viro bono, videre filiorum suorum interitum, quàm Turcicis eos moribus imbui. Turcæ enim nullam prorsus honestatem vel sciunt vel curant. Potentiores nanque aliis eripiunt, bona, vxores & liberos pro libitu suo. Neque plebei curant debitum vinculumque coniugale, ducunt & extrudunt vxores, vt lubitum fuerit, venundant liberos. Mores verò huiusmodi quid sunt aliud quàm mera homicidia? Rursus alias ob-

*In Asser.
art. 34.*

tendit causas in sua Assertionem. Præliari (inquit) aduersus Turcas, est repugnare Deo, visitari iniquitates nostras per illos. Quod probo (ait) duplici experientia infelicitatis nostræ. Prior est, quòd hæctenus nihil habuimus prosperum aduersus Turcã, & vires eius

atque imperiū, nostris bellis aucta sunt in im-
 mensum. Vbi si Deus non esset contra nos, &
 Turcam non haberet pro virga iniquitatis no-
 stræ, longè aliter fors cecidisset: adhuc tamen
 obstinata cæcitate, opera Dei nõ agnoscimus.
 Altera verò infœlicitas, maioris (inquit) dede-
 coris & ignominia, quòd tot iam annis passi-
 sumus nos deglubi per impostores & lega-
 tos Romanos, toties ad bellum Turcicum, in-
 dulgentiis ac facultatibus impudentissimè vè-
 ditis, pecuniam & substantiam nostram de-
 uorantes. Sic in vindictam iniquitatis no-
 stræ, dedit nobis Deus è Roma, truculen-
 tiores, cruentiores, insaturabiliores Tur-
 cas, quàm illi vnquam fieri possunt. Adhuc
 peiores hi Turci, nos insensatos præstigiis
 suis incitant aduersus meliores Turcas, tan-
 tum, vt interim omnia nostra confiscentur,
 sub titulo belli Turcici. Qui habet aures au-
 diendi audiat, & à bello Turcico abstineat,
 donec Papæ nomen sub cælo valet, Dixi.
 Hæc ibi. At nunc aliter dicit cucullatus iste
 Legifer in sua Visitatione. Clamant (inquit) *In lib. Vise.*
 aliqui prædicatores temerariè de Turcis, non
 resistendum esse Turco, quia vindicta Chri-
 stianis prohibita sit. Hic sermo seditiosus est
 (inquit) qui neque ferri neq; permitti debet.
 Potestatibus enim tradita est facultas & gla-
 dius, eisque præceptum est, vlcisci omne la-
 trocinium & rapinam. Tenentur itaque bello
 prohibere his, qui cõtra ius, bella incipiūt, præ-

dāsque & latrocinia agunt. Hæc ultio non est
 prohibita. Ait enim Paulus Ro. xiiij. Potesta-
 tem esse vlttricem Dei, id est, à Deo ordinatā,
 & præceptam, cui & Deus in necessitate fert
 opem. Cùm igitur potestas debeat opera bo-
 na honore, mala supplicio aflicere. Rom. xiiij.
 & j. Petr. ij. Debet & illis resistere, qui cul-
 tum Dei, bonas prouinciæ consuetudines, iu-
 ra & iudicia tollere conantur. Tenētur igitur
 Potestates, resistere Turcis, qui nō solūm cu-
 piunt prouincias deuastare, vxores & liberos
 violare ac interficere, verumetiam iura pro-
 uinciæ, cultum Dei, omnémque ordinatio-
 nem bonam abrogare ac tollere: vt ne posteri
 quidem tutò viuere queant, nec pueri ad di-
 sciplinam & virtutem educari. Idcirco de-
 bent Principes ob id præcipuè belligerari, vt
 ius & honestas in prouinciis conseruetur, ne
 posteri vitam viuant indisciplinatam & im-
 pudicam. Hæc in Visitatione, non minus
 contra seipsum & contra suos, in rei verita-
 te, quàm contra Turcas. Quid enim aliud
 moliti sunt iam decem annis Lutherani, ni-
 si vt cultum Dei, vltra DCC. annos in Ger-
 mania piè ac deuotè obseruatum, tollerent si-
 mul cum omnibus consuetudinibus legibús-
 que & ordinationibus bonis & honestis? Imò
 & multo immaniora magisque impia alicubi
 attentarunt, aut animo saltem agitarunt, vt i-
 norunt ij, qui aut cædibus rusticorum aut
 torturis & quæstionibus fontium interfuerunt.

Ore certe impuro ac blasphemio cunctos Tartaros & Turcas facilè superat longèque antecellit, vel vnus Lutherus, A quo enim Turcarum vnquam audita aut lecta sunt tam spurca contra bonos mores, aut tam impia contra sacerdotes & sacramenta, aut tam blasphemata contra Deum & sanctam Deigenitricem omnesque sanctos eius quàm legimus & audiimus nos toto iam decennio ab vno isto Saxónico Mammalucho? Neque tamen satis fuit immensæ eius maliciæ, pro Turcis consulere contra Papam & eius Clerum. Verumetiam contra Principes & Reges nostros pro eisdem ad populum scribere, & quidem seditiosissimè, non est veritus. Sic enim subiunxit post Duo Imperialia mandata. In fine (inquit) oro cunctos pios Christianos, dignentur simul rogare Deum pro huiusmodi miseris excæcatis Principibus, quibus nos Deus proculdubio magno iræ suæ furore corripuit, ne vlllo pacto sequamur vel in militiam ire, vel dare aliquid contra Turcas, quãdoquidè Turca decies prudentior probiorque est, quàm sunt Principes nostri. Quid talibus fatuis contra Turcam prosperè eueniat, qui Deum tam alte tentant ac blasphemant? Hæc ibi. Subiungit quidem adhuc multa, non absque crimine læsæ maiestatis in Cæsarem nostrum, in Regem Angliæ, atque in fortè nationè Hungarorum, quæ pro Turcis contra eos faciunt, sed prolixiora sunt, quàm vt hîc commodè recenseri queant. Ex

*Contra duo
Imp. mada-
ta anno
1524.*

DE CERIMONIIS.

his autem facilè intelliges (Illustrissime Princeps) quid iam pridem meritis sit Lutherus, & quàm deceat te, tantum ac tam honoratum Rom. Imperij membrum Principemque, bestiam hanc plus Turcicam, in totius Imperij ac patriæ cladè ignominiamque & adeò vltimum (quantum in ipsa est) exitium, fouere ac protegere: Cùm nullus sit, credo, inter omnes Suermeros, Sacramentarios & Anabaptistas, qui vel interfecti sunt, vel adhuc viuunt, quem non superet seditiosis scriptis sermonibusque Lutherus. Si ergo cæteros aut interficis, aut proscribis, quem ad vsum, aut in quem finem conseruas istum? Senties proculdubio tandem, qualem in sinu foueris serpentem hunc Regulum, quo nulla est hodie sub sole pestis nocentior.

De cærimoniis ritibusque Ecclesiæ.

CAPVT XLIII.

Q Vis, obsecro, sine tædio legat hinc tot leges ex legis huius Apostatæ? qui propria temeritate & impudentissimè veteres Cerimonias Ecclesiæ abrogauit, & nouas impudentissimè, nulla præditus autoritate præscribit. Quoties ait hic, debeat item debet item? Quem obligant tot leges eius vsque adeò nugaces & fatuæ? Si à nemine approbantur nec

In lib. V. si-
ta.